



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXIII. De gravi Ciborum penuria inter Fratres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

MEINULPHI abstracta erant, periculum damni minimè evaserunt, nam sicut rubigo ferrum ita & bona Ecclesiastica minùs justè acquisita, si aliis bonis associata fuerint, eadem consumere non desistunt. Caveant igitur universi Monasterium B. MEINULPHI spoliare aut inhabitantes molestare, ne omnipotentis DEI manum post commissum malum, quemadmodum prædicti confusione magna perpeffi sunt, sentiant in vindictam. Quomodo quidam bona Monasterii B. MEINULPHI violenter auferentes, sibique minùs justè usurpantes nec antè obitum suum restituentes visi sint post mortem gravissimis pænis tormentari in Monte, qui vulgari nomine dicitur Lurleberg vel latine Lullus (de quo videre est in monumentis Paderbornensibus aliisque Authoribus & Historiis Westphalicis) ad parcendum famæ ac honori certarum Familiarum hîc tamen contexere supersedeo cum adhortatione, ut nemo malè acquisita (dum adhuc in vivis degit) differat restituere, ne post obitum intolerabilibus pænis involvatur, notum namque Sancti Augustini adagium: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

C A P U T XXIII.

De gravi Ciborum penuria inter Fratres.

JAm quia dictum est de ablatione temporalium bonorum per raptores, modò consequenter de ciborum penuriâ, quâ Regulares Monasterii Budecensis longis temporibus premebantur, restat enarrandum. Nam quia prædicti Regulares de pauperculis Monasterii sui redditibus parùm gaudere potuerunt, ut præfertur, ex eo quòd magna pars bonorum dicti Monasterii per ultimam Abbatissam ipsius extraneis personis impignorata fuit; necessarium erat, ut pauperum cibus corpora sustentarent. Quapropter potagia talia qualia, sorbilia, pulmenta, & legumina præmemoratis Fratribus refectionum temporibus apposita cum gratiarum actione sunt insumpta, & utinam in prædictis ad naturæ sustentationem sufficientiam habuissent. Sæpius etiam cum jam pransuri erant, panes foris à vicinis mutuabant, & quòd prædicti DEO devoti Fratres graves molestias

EX

ex ciborum defectu sustinerent, ex hoc quod sequitur, probari potest. Nam ex Monasterio B. Laurentii infra muros oppidi Swollensis sita-
ti, de quo prædicti Regulares Reformatores B. MEINULPHI per Reve-
rendum Wilhelmum Episcopum Paderbornensem vocati fuerunt, qui-
dam Regularis, nescio, quo Zelo ductus Fratres suos in eodem Mona-
sterio B. MEINULPHI licentiâ acceptâ visitavit. Quò dum pervenerat
æstuali tempore, & quadam vice ad mensam refectorialem cum con-
ventu sederet, contigit, quòd rusticanus cibus, non qualis Swollis
in proprio suo Monasterio occurreret, eidem ad edendum antepone-
retur, videlicet Narsturtium crudum sale conspersum, quod vulgari
lingua dicitur Gartkretse, deinde ossa de grosso filigineo pane facta,
quam prædictus Frater intuens non attigit, ut comederet, nisi valde
parum, & cum cibos lautiores præstolaretur apportandos, putabat
namque quòd circa finem refectionis meliora fercula ad insumendum,
quemadmodum ad divitum mensas fieri solet anteferri deberent, &
ecce minister refectorii pro lautioribus cibis cereâ cum suis frondi-
bus in magna multitudine supra mensam posuit ante Fratres. Præ-
fatus Regularis itaque qui à foris venerat, intuebatur hoc, quod fue-
rat ad edendum ante positum, mirabaturque, quòd tales viri, quos
anteâ delicatos noverat, tam vilia & abjecta nutrimenta locò cibo-
rum, qui hominem reficere minùs possent, alacriter insumere non de-
sisterent, & prandiò factò supradictus Frater, qui gaudens, ut se re-
ficeret, ad refectarium accesserat, non solum tristis sed & esuriens
à mensa recedebat, & unum de Conversis Monasterii accedens no-
mine Gottfridum sciscitatus est ab eo me præsentem dicens in hæc ver-
ba: mi Frater Gottfride & qualis est cibus, quo hîc sustentatis cor-
pora vestra? & Conversus respondens aiebat: Domine satis bonum
est, quod in tantum habemus ad edendum, tamen sciatis, quòd pro-
cessu temporis, videlicet cum nuces avellanæ similiter & accasia ma-
tura sint, meliorem mensam nos habere contingit. Frater hoc au-
diens quòd accasia, quæ porcorum cibus sunt, expectarent pro me-
lioribus cibis suis, multum abhorrens cibum istum interrogando lo-
quebatur prædicto Converso in hunc modum: éstne aliquis hîc, qui
me ad oppidum Geseke perducere possit, ut sic per viam, quâ ad vos
veneram, revertar ad meum Monasterium? Sicque factum fuit, ut
confratribus suis Monasterii B. MEINULPHI in paupertate relictis ad su-

F

pra-

prædictum suum Monasterium remearet. Si hoc in solemnioribus Festivitatibus, quid in Ecclesiastico jejunio factum fuerit, colligendum relinquo.

CAPUT XXIV.

De Potu supradictorum Regularium, & de eorum lectisterniis.

Quia dictum est, quibus cibariis supradicti Regulares secundum temporis exigentiam circa reformationem Monasterii B. MEINULPHI sunt refecti, nunc me non piget calamo annotare, qui & qualis tunc eorum potus fuerat, nam quia omnimoda paupertas ipsis aderat, asinum paucis nummis comparantes, cum parvæ carrulæ jungabant, ac multitudinem silvestrium fructuum pomorum & pirorum vecturâ adducebant, quos adductos in frusta conterendo, vasis perantiquis propter DEUM ipsis ministratis imponebant, ac aquam calidam super infuderunt abundanter, de præfato liquore brodio, postquam ad breve temporis spatium steterat, receptum est ad vasa talia, qualia Fratrum paupertas habuit & admisit, & liquorem talem circa refectiorem & labores cum gratiarum actione pro potu suo fumebant. Verum cum prædictus liquor in vasis deficere cepit, aliam aquam calidam, ut in potu non deficerent, infundebant. Quod si præ operis multitudine eandem calefacere non valebant, frigidam infundere non cessabant. Domine DEUS, si præfatum potum servis tuis non indulcorâsses tuâ gratiâ, corporaliter utique defecissent. Nam quodam tempore me præsentem quando Fratres circa locum, qui Wulweshausen nominatur, gravi labore infunderent, & unus ex eis de supradicto potu biberet, incommodumque sibi adesse sentiens valida voce, quia patiebatur, exclamavit. Prædictorum etiam Regularium lectisternia qualia erant circa reformationem supradictam, exprimere non cessabo. Ex indispositione namque collapsi Monasterii in suis ædificiis, quod reformare intendebant, iidem Fratres diversa inibi loca pro quiete noctis sibi usurpantes, nunc in choro S. Liborii, nunc supra turrim tempore noctis quieverunt, & quia in lectisterniis magna necessitas eisdem imminabat, quædam devota Matrona Civitatis Paderbornensis hoc audiens, lupulum, cum quo